DE MORBOSIS METAMORPHOSIBUS IN UBERE LACTANTE OBSERVATIS...

Carlo Bombasotti

DE
MORBOSIS METAMORPHOSIBUS
IN UBERE LACTANTE
OBSERVATIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE

ILLUSTRISSIMO FACULTATIS DIRECTORE, SPECTABILI D. DECANO

AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

D. JOSEPHO CORNELIANI

PATHOLOG. THERAPIAEQUE GENER. P. O.

UNA CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDIS

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

IN C. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI

MENSE SEPTEMBRIS MDCCCXXI

LAUREAM MEDICAM ASSECUTURUS

CAROLUS BOMBASOTTI

CHIRURGIAE DOCTOR

EX GERGNAGO.

Ticini Regii

EX TYPOGRAPHIA BIZZONI

I. R. Universit. Typograph.

692

PERILLUSTRI DOMINO

CONSILIARIO CAESAREO REGIO

GUBERNII MEDIOLANENSIS

DOMINO

ANDREAE MOSETTIG

Qui animo, menteque beneficiis se alligatum pervolvit, Beneficis publicas et privas referrendas esse sentit grates. Hinc Tibi, Illustrissime Vir, immortales eas ago, agamque, dum vivam, cum relaturum me umquam ausim affirmare. Summi quidem mihi fuit, Te benevolo magnoque animo facultatem, quam Spectabilis Loci Busti Aritii Auetoritas largiebatur, Medicis scilicet disciplinis extremas dandi manus in celeberrimo Ticinensis Athenaeo confirmasse.

694

Dissertatiunculam magnificis doctissimisque TUIS *manibus exhibeo, verum non operi, sed animo ad cineres grato aequi bonique consulas, etiam atque etiam exoro.*

Perillustris nominis TUI

Observantissimus Auctor.

PROOEMION.

Cum pluries in praxi lactatus ex mammarum infirmitatibus praepeditor vidissem, in tentamine inaugurali hoc de argumento disserere decrevi. Facilius enim scribentibus res succedere solet, quo major est in re usus et notio.

Hinc mihi est animus ut uno eodemque tempore munere accademico fungar, et ut quae ex praxi maxime utilia in mammis lactantium diversimode patientibus sum expertus, publici juris faciam. Fateor quidem me summos esse semper sequutum Chirurgiae Praeceptores, ideoque laudem, si qua ex praxi habui, iis esse vertendam. Verum cum non omnia prolata auxilia aeque utilia comprehendissem, inter lecta lectissima ostendere dant vires.

Dicendi ordinem ex majori vel minori aegritudinum frequentia statui. Hinc in primis de inflammatione mammarum est dicendum, quippe morbo, qui mammae reliquia frequentia anteit; sequuntur sponte diversi illius exitus. Tertio in loco est lactis secretionis defectus. Ultimo veniunt vitia papillae mammillaris, sive congenita, sive adquisita.

Da, benevole lector, scriptori veniam, si pauca tibi prae oculis ponit; sunt enim vires, non ejus voluntas criminandae.

I.

MASTITIS.

Quamprimum mulier est enixa tertia ut plurimum die vel ad summum quarta, febris lactea adparere solet. Eo etiam tempore lactis secretio incipit. Non inficiendum quidem post pubertatem aliquando mammas lac secernere, foemina nec gestante, nec puerpera: est frequentior is esse solet casus, ut post partum statuto tempore absolutum mulierum ubera ea principia sibi attrahant, quae earum structura et vi in lactis efformationem impenduntur.

Tunc temporis foemmam natura sollicitat ad recens nato ubera porrigenda. Id sanctum est foeminis munus, quo omnes fungi absolute deberent, nisi adversa contrarium juberent. Haec inter primum tenet locum mammarum inflammatio.

Lactis concretio, *morbus pilaris*, *mastodynia pilus*, *mastodynia pilaris*, aptius *mastitis galactica* dicitur mammae inflammatio tempore febris lacteae evoluta. Diversae in mammis praeter galacticam inflammationis species observantur, ut phlegmonosa, skirrosa etc. Verum haec

longe minus frequenter lactatus difficilis, vel impossibilis sunt caussa; cum vel in subjectis obtineant neque gestantibus, neque lactantibus, vel si in puerpera, tamen in utraque mamma valde raro in praxi videantur.

De phlegmonosa vel diathesica mastitide disserere hic esset inane. prima enim nil prorsus singularis exhibet adnotandum, reliquae lactatui obstant magis ob dyscrasiam in universo corpore vigentem, quam ob mammae pationem.

Diversa nomina mastitidi lacteae a veteribus concessa ex falsa depromebantur et hypothetica nosogenia. Credebant revera morbum pilarem sive mastitidem esse effectum pili cum potibus hausti, et per textum cellulare, ac reliquas permeabiles partes ad mammas delati· absurditas talis est hac in hypothesi, ut refutatione non indigeat, quamvis apud profanos mastitis *morbus pili* adhuc audiat.

Tempore ut plurimum lacteae febris tanta mammarum distentio fit, ut ingens earum volumen, rubor et calor morbosi adverti debeant praeter duritiem quandoque sane miram. Haec excipit dolor corpus glandulae, et papillam mammillarem plus minusve dire ·prosequens. Caput grave fit et dolens, facies pallida, physiognomia tristis, oculus languidus, et lingua tegmine albido spurca, molestum mammae pon-

dus, pectoris oppressio, respirium breve, inquietudo, pulsus celeres, pleni, durisculi, lotium rubrum, parcum, crudum, alvusque obstipata. Cuncta symptomata quotidie vespertinis exacerbantur horis, ac versus aurorum sub sudoris acidum spirantis secessu manifeste remittunt. Papilla quamvis inflammationis expers ex mammae turgescentia ita imminuitur, ut quandoque vix non ex integro disparest. Excretio lactis vel omnino deficit, vel paucum duntaxat viscidum et spissum difficulter exprimitur. Infans papillam tunc sugere nequit, inquies diversos capitis absolvit motus: ruditer huc illuc mammam ad auctum facilorem reddendum premit, dum mater ex sensibilitate abnormi, quam phlogoseos gratia est mamma adepta, minimae etiam contrectationi fit impatiens, immanes patitur cruciatus, et maternum opus invita respuere cogitur. Haec sunt quae ut plurimum in mastitide observari solent.

Sequitur haec etiam inflammatio aliarum morem sic, ut invasionem, incrementum, statum, crisim, decrementum, et finem conspicere valeamus. Decurrit acute hactenus, ut per raro ante alterum cyclum septenarium non dijudicetur.

Si causas dignoscere cupis praeter generales, disponentes et excitantes, quas omnibus inflammationibus favere referunt medici, specialius

consideranda sunt, ceu causae disponentes, puerperium, metamorphosis organica, quae post partum evolvitur et lactis formationi innititur, papillae mammillaris abnormis constructio, sive deficiens, minima, sive cum ductulis obstructis, aut vix permeabilibus. Lac non effluens dum uberius excernitur glandulam enormiter distrahens, suctus et praessio a pusione ruditer peracta, atque refrigerium corporis aestuanti vel sinui inconsulto admissum praecipuas inter prophases veniunt.

In futuris pendendis mastitidis absque anomalia de morte vix, aut ne vix quidem timendum, perfecta resolutio rarissima promittenda, omnibus etiam faventibus circumstantiis. Indurationes et abscessus frequentissima sunt posthuma. Verum metastases etiam adootantur, quibus ad nobilissima organa urgentibus lethi periculum indirecte adduci potest. Ex abscessu etiam sanato non pauca timenda incomoda pro alio futuro puerperio, et lactatu, praesertim si pars papillaris inflammationa prosequuta fuerit.

Therapia antiphlogistica requiritur morbi gradui a medici prudentia adcomodanda. Hinc pro usu interno eccoprotica praesertim salina, potus emollientes et temperantes. Ab omnibus cavendum, quae reactiones vitales extimulant. Inter auxilia externa quandoque ipsa venae se-

ctio conducat, et vix non semper mammis medendum fomentationibus emollientibus, cataplasmatibus ejusdem naturae. Illinitiones ex substantiis unguinosis et oleosis pluries damnosas vidi, easque libenter omittendas consulo.

II.

Uberis inflammationem resolutionis perfectae exitum respuentem excipiunt,

1. Abscessus.
2. Fistula lactea.
3. Induratiomm.
4. Atrophia
5. Gangraena, et sphacelus.

1. *Abscessus lacteus.*

Septima, nona, decima prima, aut ad summum decimaquinta die inflammationis vigentis, dolor et molestus arteriolarum pulsantium sensus mitescunt, adparente levi exuberantia plus minusve elata et coloris sature rubri. Haec increscit mollis, fluctuans, apicem mucronatum exhibens, qui pedetentim colorem sumit flavo albidum, et non raro prurit: ut plurimum inflammationis foco respondet.

Glandulas subaxillares lateris respondentis

tument et dolent hoc ipso momento, quo pus collectum tumorem nuper descriptum exhibuit. Tumor increscens cutim tenuem paulatim ita reddit, ut tandem dehiscat, fluente humore plus minusve denso albido flavo, quem lac et pus una simul conjuncta constituunt. Ea ratione qua pus defluit uber volumine et pondere imminuntur: calor jam urens et moidax mitescit, et febris silet restitutis ad normam vix non omnibus functionibus organico-vitalibus.

Abscessus lacteus originem suam haurit ab inflammatione persistenti, et ad gradum altiorem evecta. Lactis non excreti praesentia causa occasionalis mastitidis, et hujus est exitus, non causa proxima (ut nomen abscessus lactei indicaret, quasi esset tumor ex lacte collecto). Vix in praxi observari potest vera lactis effusio in textu adiposo vel in ipso mammae corpore ex vasorum galactophororum ruptura; sed hoc etiam posito inflammatio enasci debet, si jam non aderat, et ex illa verum apostema ultimo consequitur.

Qua ratione puris excretio in mastitide obtineat disquirendi non est animus, cum noverim salebrosum secretionum in statu physiologico et pathologico argumentum summorum etiam in rem medica virorum miram aciem effugisse.

Abscessus lacteus arte vix aliquando est ad-

aperiendus: sufficit, ut plurimum ad hoc opus natura. Si detur casus sub ingenti volumine, immanibus cruciatibus distentae mammae, textus adeo renitentis, ut sponte non dehiscat, tunc lanceolae punctus praesto sit oportet.

Abscessus tractamen simplex omnino sit, eo, dum maturationis gradum attingit, tempore, et eo, quo pus abscessus adapertus fundit. Auxiliis topicis vero aliis praeferendis adscribuntur cataplasmata emollientia. Quamprimum puris secretio arescit, et ulcus superest, abscessus, sinu jam occluso, in cicatricem lente nititur, adhiberi possunt *involutia sicca*, aut simplici unguento illinita, et absque emolumento quandoque nitras argenti fusus ulceris superficiem pertangit. Cave ab iis, quae, ne hiatus ante tempus claudatur aposthematis, illius in labia intromittuntuntur, ut spongia preparata, cerata etc. Haec enim in abscessus sinum penetrantia sanitati obstant, et novae inflammationi originem ponunt.

2. *Fistula lactea.*

Fistula solutionem indicat partium corporis viventis continuarum, plus minusve penetrantem, plus vel minus sinuosam, quandoque diversas in partes serpentem, sinu plerumque

haud largo, et ex aliqua causa sustentam, quae pertinaciter renititur unioni partium solutarum.

In praxi inter reliquas, quae adnotantur, fistulas non rarissima est lactea, quae lacteum abscessum sequitur. Enascitur haec ex ruptura galactophororum in partibus praesertim mammae penitioribus. Lac continuo secretum gemit ex vasculis ruptis in morbosum cavum, et cum ipsi longum et salebrosum iter sit permeandum, ut tandem exeat per externum foramen, fistulae sinus illo opletur humore, distensionem propria in parietibus patitur, ac inde huc illucque serpens et complicatus fit. In casu galactophororum rupturae, quin in cuti et textu cellulari via extet, per quam lac effundatur, tumor enascitur partim ex lacte solato, partim ex lacte in massas coacto.

Obstaculum sanitatem omnino respuens in fistula lactea est continua lactis secretio et effusio. Impedit enim haec quominus rupta vasa galactiphera ad cohaesionem perveniant, cui faverent vasculorum vacuitas, eorum inflammatio, et effusio pedisequae lymphae plasticae. Rationem, per quam pertinacem hoc obstaculum fistulam reddat, in eo habebis, quod lac secretum in parte glandulae non inflammata, et ad locum advectum, ubi ruptura haeret, excurrit super vascula disrupta et inflammata, aufert

ab illis pincipium plasticum, quod in sui unionem illa impendere deberent; praeterea necessariam pro cohaesione in partibus ulcere corosis quietem ille fluxus deturbat. Deficientibus tali pacto lympha plastica et debita requie incassum rupta galactophera sanitatis restitutio sperabilis.

Ex hac nosogenia illico elucescit quantum valere possint pharmaca sic dicta *cicatrisantia*, quae nullo alio sub intuitu praescribuntur, nisi ut nodulis carneis occasionem praestent et cicatrici. Haec auxilia Agyrtis vel Aevi rudis empiriae sunt relinquenda: propria experientia non modo irrita sed damnosa haec vidi.

Rationalis therapia ex nosogenia deprompta periculis practicis optime confirmatur. Haec sequentes indicationes medicos docet. *a*) Lactis secretio ante omnia est praepedienda *b*) Quidquid in fistulae sinu extat debet auferri. *c*) Parietes fistulae sunt adproximandi. *d*) Inflammatio debite dirigenda, ut adhaesionis gradum adipiscatur.

Primam explent indicationem purgantia eccoprotica salina, praesertim sulphas magnesiae, et arcanum duplicatum, quibus alimenta tenuia, parca, simplicia potulenta, et ab incitantibus omnibus abstinentia sunt addenda.

Altari indicationi natura quam maxime praestat. Arido lactis fonte, quod jam fuit effusum

vel a lymphaticis absorbetur, vel favente fistulae positu sponte extus fluit. Quamvis rarissime instrumenta chirurgica in mammae suppurationibus sint adhibenda, tamen ad faciliorem viam effusis parandam licet interdum novum praestare hiatum subtilissimo cultro juxta artis leges, si imum fistulae in inferiori mammae parte sit, et foramen in parte superiori; dummodo nullae adsint contraindicationes. Debitus partis patientis positus est auxilium non spernendum pro hac secunda indicatione absolvenda.

Ad parietes fistulae proximos reddendos nil magis praestat, quam levis compressio fasciis thorace muliebri peracta; imo ex hac sola maxima sunt expectanda commoda.

Demum ut debite phlogosis pertractetur, ne ultra, vel infra adhaesivae gradum vigeat, auxilia non modo topica, sed etiam quae generalia dicuntur in usum sunt vocanda. Debitum moderamen virium obtinetur pro diversitate casus et patientis mox antiphlogisticis lenioribus, apto diaetae regimine, victu tenui potuque refrigeranti aqueo, mox vero leniter irritantibus, victuque leniori et nutrienti. Haec casubus differentibus adcomodanda ea sunt, quae medicum practicum distinguunt, et ex quibus magnalia frequenter obtinentur.

3. *Indurationes.*

Tumentem, et praeter morem duram mammam post inflammationem in praxi non raro medici vident. Displicet vero, quod a plerisque neglectam sciam tumorum phlogosium pedissequorum distinctionem pro diversa, ex qua sustinentur morbosa metamorphosi; cum haec pro medico practico maximi omnino sit. Reapse ex graviori inflammatione;

Vel hypocleptis nascitur lymphatico-plastica cum tali fibrinae praedominio, ut, repletis textus alveolaris cellulis, pseudo-organisatio contingat, et novum quasi mammae corpus ibi efformetur, dominante vegetatione perfectiori, et deficienti ex compressione novi producti aliqua secernentium et excernentium vasculorum serie et actione. Hoc in casu durities, quae obtinetur est potius insignis, tumor indolens, pondere gravis, partibus vicinis concolor vel etiam albidior.

Vel tumentia ex majori humorum affluxu capillaria veram congestionem exhibent, et quamvis tumida, et duriuscula pars deprehendatur a priori tumore est distinguenda. Cernis enim tunc partem adhuc dolentem, calidiusculam, leviusculam, pastaceam, non raro rubellam;

uno verbo persistunt non pauca signa duritiei ex congestione sanguinea-humorali, sive semper pro activa illam habeas, vel cum aliis quandoque passivam etiam concedas, primo jam intuitu quantum therapia hisce in casibus diversa esse debeat, cuilibet patet, et quae rite institui non poterit, nisi indurationes, quae inflammationem sequuntur bene distinguantur.

Relate ad ea, quae vera durities sive cum pseudo-organisatione depostulat, medici in unum consentiunt, resolutionem tentari nullomodo posse, nisi inducto novo processu phlogistico, quo major suscitatur languentium vasorum capillarium activitas, materiae morbosae divisio, et fusio purulenta, ejusdemque exportatio. Id efficiunt remedia stimulantia, et acria. Inter haec praecellunt antimonialia mercurialibus praesertim accepta, cicuta, aconitum, lactuca virosa, squilla, arnica, gummi-ferulacea, murias baritae, sal ammoniacus, frictiones siccae, aromaticae, balnea sulphurea etc. Leges semper prudentiae horum in usu sunt servandae, ne in saniosam colliquationem pessimi moris inducatur nisus.

Contraria prorsus auxilia alia indurationis depostulat species, scilicet antiphlogistica, licet levioris gradus. Notabilem efficaciam manifestat tepor aequabilis: hinc balnea, vapores, fomen-

lationes assiduae vix non tutissima pro resolutione suppeditant adminicula, quorum actio multum adjuvatur interno resolventium, et eccoproticorum usu, ut sunt sapones medicati, vegetabilia saponacea, serum lactis, sales medii, mercurialia.

4. *Atrophia.*

Quamvis non frequens sit in praxi casus mammae post inflammationem atrophia prosequutae, hunc tamen exitum videndi occasio fuit. Cum illa non est confundenda voluminis et massae imminutione, quae adipis resolutionem sequitur, haec atrophia ex inflammatione Dum enim in priori nulla est conditio pathologica, imo data occasione ad pristinam formam pars restitueretur, in hac ex inflammationis gravitate non pauca occlusa sunt capillaria, sive ex materie in ea morbose impacta, sive ex parietum adhaesione: principiorum altilium debita infringitur appositio, et praevalente ablatione corpus mammae marcidum fit, lactisque secretio amplius non obtinet. Explicationem atrophiae ex inflammatione, quam retuli, valde probabilem anatomica pericula reddunt. Peracta injectione alicujus materiei colorantis, dum mammarum vascula capillaria summe etiam exilia perreptat

et replet, in ubere atrophico capillarium injectio obtineri nullatenus potest. Quaerenti, cur in capillaribus nutriciis, potius quam in illis, quae reductioni inserviunt, obstructio obtinuerit, responderem, phaenomeni rationem in substrato ipsius inflammationis esse. Sunt enim capillaria arteriosa quae patiuntur gravius, quam venosa et lymphatica. Hinc etiam inflammationis posthuma, graviora in illis, quam in istis esse debent. Tali pacto concipitur laesio normalis relationis inter appositionem et ablationem, et pedissequa atrophia.

Nullum therapeuticum auxilium contra mastotrophiam innotescit empiricum, et nullum rationale consulere possumus, nostra stante atrophiae ex inflammatione nosogenia.

5. *Gangraena et Sphacelus.*

Gangraena et sphacelus dumtaxat summum mastitidis gradum sequi possunt; sed haec gravia posthuma potius partialia in mammae integumentis, quam in textu mammae generalia vidimus. Imo papilla mammillaris in anceps versatur vix non semper, cum in areolae et viciniis urgeat inflammatio, vel thelitis sit enata.

Hisce in casibus auxilia, quae therapia praestat alia non sunt, nisi antiphlogistica generalia gradui phlogoseos adcomodata, per haec sola

debitum virium moderamen erit, ex quo totum sanationis opus expectandum. Insuper topica et diaeta in unum conspirare debent; hinc cataplasmata emollientia, tepor aequabilis, victus tenuis, refrigerans, potus aquosi sint etc.

III.

AGALAXIA, SEU LACTIS DEFECTUS.

Aliquoties lactis defectus, quin phlogosis, ejusque sequelae sint, ubera materna abripit infantibus. Agalaxiae causae innumerae sane sunt, unde non minima hujus phaenomeni frequentia. Mammae formae et structura, vel ex natura, vel ex morbis praecedentibus laesa, athelasmus, conditio nutricis physica debilis, infirma, veneris abusus, animi pathemata, sanguinis evacuationes nimiae, mammarum fasciis vel thoraculis peracta compressio, adstringentium uberibus adplicatio secretionem infringunt, vel penitus etiam praepediunt. Ipsi infantes culpam hujus defectus nonnunquam gerunt, vitia in illorum ore, labium leporinum, linguae morbosae adhaesiones etc. suctum impediunt, unde lactis non modo excretio, sed etiam secretio sollicitari non potest.

Secretionis lacteae fontem ob dictas causas

arescere, liquido patet; sunt enim tales, ut vel materiem, quae secretioni inservire deberet, subtrahant, vel debitum nervorum influxum denegent, vel organon, quod debite constructum materiem in novam informare deberet, mutent. Quamprimum una vel alia ex necessariis hisce ad secretionem conditionibus deficiat, absolute mammae munus infringitur, vel plane supprimitur.

Phaenomenon itaque deficientis lactis, quin sit inflammatio, multiplicem nosogeniam habet et multifariam therapiam. Irridendi ergo sunt, qui auxilia galactophora indiscriminatim adcommodanda admittunt.

Rationalis therapia jubet, ut determinetur in primis causa arescentis secretionis; ut inde auferatur, si fieri potest; demum ut effectus oppositi inducantur. Ut magis evidens, et facilis therapia pateat, possumus ad quatuor summa capita reducere causas agalaxiae proximas.

1. A vitia structurae mammae.

2. Ad defectum humorum altilium in foemina, vel eorum ad aliud organon immodicum adfluxum.

3. Ad defectum vis vitalis ex nervorum patione.

4. Ad lactis secretionem imminutam ex suctu deficiente.

Quid defectus lactis ex vitiis mammae depostulat infra videbimus.

Defectus humorum elsilium jubet, ut ulterior eorum reductio per haemorrhagias, sanguinis depletiones, diarrhoeam, secretionesve alias nimis incitatas, praepediatur, et damna corpori jam illata nutrientibus et roborantibus emendentur. Humorum inaequabilis distributio, vigente potissimum alicujus organi inflammatione graviori, antiphlogisticis et revellentibus pertractetur.

Incitantia generalia et topica pro tertio genere sunt indicata. Ultimo in casu infantis bene constituti est suctus adhibendus.

IV.

Quamplurima vitia papillae vel congenita, vel adquisita lactatus difficiles vel etiam impossibiles reddunt. Displicet sane quod in praxi non omnia sanari possint, sunt enim papillae abnormitates, quae omne medicorum studium illudunt, uti papillae imperforatio, ejusque absentia. Horum duplex est origo, vel primigenae naturae erratum sunt effectus, vel inflammationis, gangraenae, vulneris, recisionis etc. Ast sive ex una, sive ex alia causa originem

habuerint, neque suctus, neque sanitas emplius obtineri possunt.

Papillae vitia, quae arte auferuntur, sunt

1. Papillae minima evolutio;
2. Rhagades;
3. Laesiones Celticae.

1. *Papilla nimis exilis.*

Sunt foeminae quibus tam exilis est papilla, ut vix percipiatur, vel imo quasi in foveolam retracta videatur. Haec congenita papillae abnormitas persistit in quibusdam tempore etiam copiosae lactis secretionis, non parum obstans lactatui, et irrita persaepe reddens omnia pressionis sugentis conamina. Praeterquamquod hoc vitium lactatum praepediat ex frequentioribus occasio est mastitidis, ut pluries me docuit praxis. Puerparae enim ex suctu fortioris infantis normalem papillae formam sperantes ubera consulto provectioribus et robustioribus praestant. Hi vero areolam maxillis fortiter premunt et producunt, atque mamma ex urgenti secretione tumida et summe sensili ex mechanica hac causa potius in inflammatoriam reactionem inducitur, quam in optatam formam. Quamobram sedulo studendum in nutrice futura, ut arte hoc vitium auferatur, sive ut naturali et sancto per-

fungatur munere, sive ut inflammationem valde facilem praevertat mulier. Auxilium repetitis periculis optimum habui in sucta per aliquot menses semel, bisve de die peracto a mulieris alius labiis. Exercicit pedetentim et producitur papilla, et ars naturae defectum tollit. Vitrea, quae a nonnullis laudantur instrumenta nullius prorsus utilitatis esse consuescunt, sicuti etiam eburneum papillam artificialem constituens in quadam muliere Tirolensi a non paucis adhibitum; de quo inferius fusius dicendi erit locus.

2. *Rhagades.*

Cum infans difficulter lac sugit, potissimum ob mammae vitium, totis viribus huic operi intendit et motibus rudioribus delicatula in areolae et papillae cuti irritationem atque inflammationem producit, quam aliquando rhagades vel etiam ulcera sequuntur.

Si ingentes dolores non sunt, potest quidem lactatus adhuc produci, ast frequentissime tanta evolvitur sensibilitas et irritabilitas ut nullo pacto suctus concedatur, vel, si foeminae cruciatus sufferrendi est animus, et in lactatu persistat, graves inflammationes pravesque illius sequelae inducuntur.

Rhagades exordium ut plurimum habent spa-

amodica papillae erectione, turgore, calore aucto, rubore saturo et tali sensibilitate, ut minimum etiam vestium attactum reformident. Oculus vitro armatus minimas supra papillam vel circa ejus basim observat phlictenas rubro repletas latice, quae dehiscunt minima relinquendo ulcuscula linearia sive rhagades Sub prima horum efformatione superficialia deprehenduntur ulcera, oblunga, lurida, sed inde in latum et in profundum increscunt, si foemina doloribus spretis ubera adhuc porrigit.

Disponens ad rhagades causa habetur procul dubio in tenera et dilicata papillae compage ejusque parvitate; occasio vero in suctu rudi, neglecto munditiei mammae cultu, habituum spurcitia, ruditate et in lacte externis partibus adhaerente, aeris calorisque animalis ob influxum acescenti

Hujus morbi decursus ad duodecim vel quindecim extenditur dies, dummodo aegra nato ubera subducat, secus diu et diu persistit gravissima pariens incomoda et mala.

Pro therapia sufficiunt ut plurimum ablactatio, cujusvis externi irritamenti remotio, et munditiei cultus: quibus possunt cum emolumento addi unguentum simplex vel seminum frigidorum, et in casibus gravioribus fomentationes et cataplasmata emollientia non sunt obliviscenda.

Cum semper morbi longaevitas talis sit, ut lactis secretio ad ejus finem usque persistere non possit, relicto lactatu; pro foeminis, quas vel necessitas vel proprii muneris desiderium ad mammas praestandas post rhagades sanatas sollicitat, lactatus artificialis cum vitris sugentibus est quotidie instituendus. Hisce enim subtrahitur lac quin partes inflammatae et scissae multum patiantur, hinc potest hac ratione morbus pertractari, quin lactis scaturigo arescat.

3. *Laesiones papillae syphiliticae.*

Gravissimum malum nutrici et nato aeque sonticum, dirasque toto organismo insidias struens est sane syphilis. Sive topica circa papillam ulcera, rhagadesque syphiliticae sint, absque hujus morbi formae, sive cum universa jam labe persistant lactatum omnino sufflaminant. Nam summa facilitate teterrimus hic depascens morbus tenelli invadit mucosam oris, totam exinde oeconomiam pervertit et cum lacte mortem sibi sugit infans. Neque dulcior est casus nutricis, quae dum animo materno dat ubera parvulo, pium munus syphilidem illi largitur. Diligentia hinc summa matribus, nutricibusque attendendum, ne sanae ex infecto elticam contrahant labem; vel infirmae recens nato sanitatem et vitam adimant.

Infelici in casu morbi jam in nutrice et filiolo extantis (nisi morbus gravissimus vel complicatus contrarium depostularet) lactatus potest inter infectos ulterius permitti: dum debite in usum sunt trahenda justa artis leges mercurialis, ex quibus dumtaxat nutrix et infantis sanitas est expectanda,

Si ex matrice infans in ore sontica esset ulcera sortitus, non potest lactatus permitti, nisi ex matre infecta, vel artificialis; semper admisso, quod mater gravissime et pluribus diversorum systematum laessionibus syphiliticis non sit prosequuta, vel morbo valdopere complicato, et praesertim cum charactere putrido.

Proh dolor! in Brephotrophiis aliquando ex uno tantum syphilitica labe prosequuto et praeterviso nutrices et alii infantes, quos eadem nutrix alit, foedo spectaculo infirmantur. In votis esset ut medicorum studia auxilium exhiberent prophilaticum et tale, ut immunis nutrix fieret mammas syphiliticis ulceribus in ore detento exhibens, et vicissim immunis filius ubera topica syphilide afflicta sugens. Huic usui, potius quam aliis commendarem instrumentum eburneum, quod Tirolenses, nescio quo comodo, utuntur in papillae mammariae parvitate: si enim adest papilla quamvis parva a suctu pedetentim crescit, si ex integro deficit, tunc sugendo papil-

la artificiali lac e mamma mellercle extrahi non potest.

Haec papilla artificialis quam primus me docuit clarissimus professor Archigymnasii Ticinensis *Platner* et quam vidi apud clarissimum doctorem *Nazzani* sequenti modo conficitur. In centro frustuli eburnei sesquipolicaris, ad duas lineas crassi, figurae circularis, ex una parte concavi, leviter ex altera gibbi, est hiatus rotundus sex linearum. Hunc undique cingit margo quidam in parte convexa excrescens, cui filo cerato vincitur sacculus infundibuliformis membranaceus, cribri adinstar minimis foraminulis instructus. In interiori parte spongia tenuissima sacculus ad medietatem repletur; extrinsecus vero formam refert papillae mammillaris erectae.

Aqua vel lacte tepidulo spongia imbuitur et sacculus madefit, pars cava ita uberi adcomodatur, ut ejus papilla foramen instrumenti ingrediatur. Sic pro naturali artificialem infans papillam premit et sugit, estque mater a rudiori suctu minus laesa.

Hoc in instrumento eam video utilitatem, quod praesidium sit mammis nimis sensibilibus, et contra suctum rudem Maximam vero haberemus, si praesidium prophilacticum sufficiens esset contra syphilidis diffusionem ab infantibus ad nutrices, et vicissim. Qui periculi tentandi oc-

casionem habênt, rem humanitati dulcissimam, prestarent, si pericula secunda forent.

Si quis dissertatiunculam perlegens, vel alicui errori, in quem fors in praxi labitur, abdicabit, vel ex consilio salutarem therapiam diversis in lactatus obstaculis instituet, mea erunt vota omnia soluta.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Remedia vegetabilia mineralibus in quavis morborum specie, ubi hoc saltem possibile sit, certe praeferenda.

II.

Sal amarissimus Rigatelli *non pollet in virtute febrifuga constanter ac sulphas chininae.*

III.

Una sufficit mamma secretioni lactis ad nutriendum infantem consueta lactationis periodo.

IV.

Tineae capitis facilius et minori cruciatu medetur usus medicaminum internorum atque universalium, quam emplastri depilatoru admotio.

V.

Principia contagiosa ab organismo humano nequaquam assimilantur.

VI.

Diversam equidem significationem nobis exhibent verba atrophia et macies

DE

DENTITIONE, EJUSQUE PHAENOMENIS